



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Dominica Decimaqvarta Post Trinitatis, Evangelivm, Luc. XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

POST TRINITATIS. 69.

lorum superantur, ubi precandum est ut dicitur
2. Paralipo. 20. Cum ignoramus quid age-
re debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos
nostros dirigamus ad te.

In tenebris nostræ & densa caligine mentis.

Cum nihil est toto pectore consilij.

Turbati, erigimus Deus ad te lumina cordis.

Nostra, tuamq; fides solius orat opem

Tu rege consilij actus pater optime nostros.

Nostrum opus ut laudi seruiat omne tuæ.

DOMINICA DECIMAQVARTA
POST TRINITATIS,
EVANGELIVM,
Luc. XVII.

ET factum est, dum iret in Ierusa-
lem, & ipse transibat per mediam
Samariam & Galilæam, Et cum ingre-
deretur quoddam castellum, occurre-
runt ei decem uiri leprosi, qui steterunt
a longe, & ipsi leuauerunt uocem,
dicentes: Ihesu præceptor, miserere no-
stri: Et cum uidisset, dixit eis: Ite, osten-
dite uos ipsos sacerdotibus. Et factum
est,

DOMINI. DECIMOQVARTA
est dum irent, mundati sunt. Vnus au-
tem ex illis, ut uidit, q̄ sanatus est, re-
gressus est cum magna uoce, glorificās
Deum, Et cecidit in faciem ante pedes
eius, gratias agens ei, Et hic erat Sama-
ritanus. Respondens autem Ihesus,
dixit: Nonne decem mundati sunt? illi
nouem autem ubi? Non sunt inuenti,
qui redirent & darent gloriam Deo, ni-
si hic alienigena. Et ait illi: Surge, uade,
fides tua te saluum fecit.

QVATVOR SVNT
præcipui loci.

- I. Corporalis liberatio testimonium est,
quòd Christus tollat peccatum & mortem.
- II. De ingratitude.
- III. De perseuerantia fidei.
- IIII. Allegoria de dicto: Vade, ostende te sa-
cerdotibus.

DE PRIMO.

IN genere tenenda est regula de omnibus mi-
raculis, quòd sint testimonia, quæ ostendunt ue-
ra esse, quæ hic Doctor de se affirmat. seu
Euangelij

POST TRINITATIS. 70.

Euangelij uocem esse ueram, & hunc doctorem esse Messiam, sicut Iohan. 5. dicitur: Opera, quæ dedit mihi pater, testimonium perhibent de me. sed non sunt tantum testimonia doctrinæ, uerum etiam exempla promissionum, quæ nos hortantur, ut simili modo petamus, & expectemus auxilium & liberationem, in omnibus malis, seu corporalibus seu alijs. Ac sciamus eodem modo affectum esse Messiam erga nos, sicut erga illos erat, ut Esa. 42 dicitur: Non accipiet personam, Et promissio est uniuersalis: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis.

Vt autem corporales afflictiones admonent nos de causa, id est, de peccato & corruptione naturæ, & de ira Dei. Ita cum Christus tollit morbos, sciamus eum missum esse, ut aboleat & peccatum, & mortem. Hæc sunt officia Messie, quæ pauci & tunc in populo intelligebant. Quare hæc miracula non introspiciebant, sed arbitrabantur esse beneficia præsentis uitæ, nec quicquam significare de causis, scilicet de abolendo peccato, & de placanda ira Dei, Sed pii in his miraculis agnoscebant hunc Messiam esse liberatorem à peccato & à morte. Voluit Deus ostendere magnitudinem peccati & iræ suæ, per pœnas, ideo diligenter consideremus humanas calamitates, nec putemus esse leue onus impositum humanæ naturæ, mortem, morbos,

morbos,

DOMINI DECIMA QVARTA

*Quia Dicitur Oritur ut cum Medea interficit liberos. tristes & Tragi
Inferentibus casibus* morbos, inopiam, bella, caedes, impulsus Diaboli, *Quia Variis Dicitur* eos casus, ut cum in obsidione mater coxit filium. Denique nemo hominum est, qui non experiatur aliquos horrendos morsus Diaboli. sicut Genesis primo dictum est: Serpens mordebit calcaneum. Ad has tantas misérias accedit & hac difficultas, quod Deus uidetur interim se abdere, nec cernere miseros. Item in ipso regno Christi plurimum est calamitatum. sicut iam Turci florent gloria imperij, habent successus, & uictorias, multi pij trucidantur, aut opprimuntur seruitute crudelissima, tanquam neglecti à Deo. Etsi autem tanta est magnitudo calamitatum, tamen animi hominum ferrei & securi non considerant causam, scilicet peccatum, & iram Dei, sed Ecclesia considerare debet, & agnoscere Messiam, & scire, quod mirabili modo seruet & liberet Ecclesiam, & membra. & hac fide petendum & expectandum est auxilium. Hæc doctrina de magnitudine calamitatum, & de mirabili liberatione, pingitur in omnibus historijs Ecclesie, ut in diluuiio, in eductione ex Ægypto, & reliquis. *cataphismo*

DE SECVNDO. *§. de ingrati*

Vsitatum est post liberationes rursus labi homines, & obliuisci Dei, sicut populus in deserto

POST TRINITATIS. 71.

serto obliuiscatur Dei, Et Saul toties liberatus,
& rursus punitus, tamen cumulat peccata. In his
relapsibus apparet cœcitas & infirmitas humani
generis, Sed aliqui paucissimi & despecti agno-
scunt beneficia Dei, & agunt gratias, sicut hic Sa-
maritanus, cuius exemplum imitemur.

DE TERTIO. *pro succedat hic fidei*

Discamus non sine uigilantia, & certamine
retineri fidem. Oppugnatur enim opinio-
nibus rationis, naturali caligine, & dubi-
tatione de Deo, infirmitate carnis, & insidijs Dia-
boli, sicut defecerunt multi magni uiri in tentatio-
nibus. ut Saul, & alij. Econtra David sustentat
se fide, etiam cum pellitur in exilium, & omnibus
fluctibus maximarum ærumnarum obruitur. Sed
pauci sunt tales, ut hæc historia etiam ostendit.
Nonem habuerunt initia fidei, & auferunt benefi-
cium corporale, sicut Saul initio pius, habuit glo-
riosas uictorias. sed postea fidem amittunt, obliui-
scuntur Dei, negligunt Christum, obrepat opinio,
quod sit fortuitum beneficium, & accedit negli-
gentia in alijs rebus. facilius obtemperant animi
ebrij & incauti prauis cupiditatibus. Sed Samari-
tanus retinet fidem, non sinit eam sibi excuti per
Diabolum, aut carnalem negligentiam. Ideo præ-
dicat eius fidem & confirmat Christus, inquiens
et probat **Fides** *laudat*

DOMINIC. DECIMA QVARTA

Fides tua saluum te fecit, id est, & corpus curauit, & saluauit animam, alij amissa fide, non habent salutem. Tu perge credere, & retine fidem. ita eris saluus. Itaq; Samaritani perseuerantiam imitemur, & simul cogitemus, non retineri fidem sine tentationibus, & certaminibus. Iam quisq; cogitet apud sese, an sit similis Samaritano, an non post beneficia accepta factus sit negligentior, Sed hanc negligentiam emendemus.

DE QVARTO. *s. Allegoria de dno.*

HOC dictum solet ad confessionem detorqueri, sed uera & dextra Allegoria est ut alibi, ita hic quoq; remittit Christus suos ad ministerium. sicut illos mundatos uolebat audire uocem ministerij diuinitus instituti, ita uult nos audire uocem Euangelij, sonantem in ministerio diuinitus instituto. Tunc sacerdotes debebant esse testes Christi, quia Lex & Prophetae de Christo testabantur. Ita semper fidem regi & confirmari uult, non solis externis euentibus aut signis, sed ipsa Euangelij uoce, & ministerio. Intelligatur ergo ostensio, tum de absolute, tum in uniuersum de uoce Euangelij regente fidem. Hæc tanta res, uidelicet de gubernatione fidei, & ministerio significatur hic à Christo. Quare locus non est de torquendus ad superstitiosam enumerationem, que offundit nebulas doctrine fidei.

DOMI-